P. M. S.

HENEAGII, Nottinghamiæ Comitis,

Baronis Daventriæ, Dom. FINCH, &c. Summi Angliæ Cancellarii,

Qui 18 *Decemb. Obiit* 1682.

ORTUS erat Illis Parentibus,
Quos vel sequi Nobile est;
Antecellere, Heroicum.
Illustravit
Tam clara Nomina;
Imò Obscuravit:
Quis enim *Stellis* locus
Tanto affulgente *Sole?*
Decurrit
Sexaginta Stadia, & amplius,
Nullum passus deliquium,
Splendidior cùm *Occideret*;
Menti, in dies, Viribus additis,
Quæ detrahebantur Corpori:
Auctâ,
Supra Honores ac Titulos,
Innatæ Probitatis Gloriâ;
Melior semper quo Major;
Non Minus Victor *Sui*, quàm Aliorum,
Incremento Pietatis perpetuo;
Hoc tantùm à se diversus,
Quod in Sanctiorem Mutaretur.
Ausus etiam,
Perversissimis Temporibus,
Bonus esse;
Imò & videri.
Haud veritus,
Ante ipsa Tribunalia,
Regium celebrare *Nomen*,
Cùm vix impune proferretur;
Eamque palàm vindicare *Ecclesiam*,
Quam nec tutò licebat Clanculùm confiteri.
Adeò Inclytus rebus gestis & dictis,
Ut vix alia aliam superet,
Qualibet perfectâ:
Etiam in minimis Magnus.
Nullius Impatiens laboris,
Qui *Patriæ* quietem afferret;
Sibi, quàm cæteris, minus Consulens.
Benignus in Omnes,
Præter semet-ipsum.
In Egenos
Profusus magis quàm Liberalis.
Æquiorem *Judicem* Anglia non habuit;
Disertiorem *Oratorem*,
Nec Græcia, nec Italia.
Opere tamen potentior fuit quàm Sermone,
Vitâ Clarior quam *Linguâ*.
Inter Omnes *Togæ* Heroas
Facile Princeps,
Omni dignitatis Nomine.
Qui vel ipsam Fortunam docuit
In lubrico Stare
Majestate virtutis,
Immotus tot Cadentibus.
Sigillorum Custodem, aut Cancellarium
Vixisse,
Multis Obtigit;
Obiisse,
Paucis;
Ita Vixisse, & Obiisse,
Nemini,
Integrâ ubique Famâ;
Ni forte apud Eos,
A quibus non laudari, laus est Maxima.
Vivum
Laudavére Boni omnes, *Acclamando*;
Mortuum,
Deflendo, adhuc laudant.
Eheu!
Non tam suo, quàm publico, *Deflendum* Malo!
Ad Invidiam, non ad Lacrymas, Moritur
Quisquis ita Vixit.
Si qua Salus in incerto, *Patriæ* est;
Ipse in Portu Navigat,
De sua securus.
Avertat *Deus* mala Omina,
Contentus hac *Clade*.
Satis perdiderunt, quibus *Vir* tantus periit,
Regni & Ecclesiæ
Non modo Decus, sed & Fulcrum & Columen.
Nobis periit, non *Sibi*.
Nec totus etiam periit Nobis,
Qui se reliquit
Virtutum Exemplar Omnium
Tam *Privata* quàm *Publica* Administrantibus.
Vivit, *Vivit*,
Superstite in omne ævum pretiosissimâ *Memoriâ*.
Vivit
In Optimis Numerosisque *Filiis*,
Sui, non minus quàm rerum suarum, Hæredibus
Dignisque Hoc *Patre*.
Vivit,
Cujus vel *Nomen* apud Posteros Vitia suffundet.
Vivit Mortuus,
Qui nisi Moreretur, fere non Viveret;
Vixerat enim totus aliis;
Jam totus & *Sibi*, & *Deo*,
Æternùm Victurus.
Vale *Lector*, & sic quoque *Vive*;
Imò ita *Morere*,
Ut sic *Vivas*.

D. Br.